

Dissertatio medica inauguralis de chorea Sancti Viti ... pro gradu doctoris / eruditorum examini subjicit Thomas Omond.

Contributors

Omond, Thomas, active 1831.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant J. Clarke et Socii, 1831.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dgwk9t2s>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**


Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>








471-1887


Cc 4 - C . 3











Digitized by the Internet Archive
in 2014

<https://archive.org/details/b2145260x>

THE CHURCH OF THE
SACRAMENTS
AND
THE CHURCH OF THE
SACRAMENTS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE CHOREA SANCTI VITI.

DISSERTATIO MEDICA

DE

CHORRA SANCTI VITI

DE

GEORGI BAIRD ES Q

MDCCCXXXIII

IN

EDINBURGO

APUD

W. LEITCH

EDINBURGO

MDCCCXXXIII

APUD

W. LEITCH

EDINBURGO

MDCCCXXXIII

APUD

W. LEITCH

EDINBURGO

MDCCCXXXIII

EDINBURGO

APUD

W. LEITCH



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE CHOREA SANCTI VITI;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS OMOND,

CHIRURGUS,

SOCIET. PLIN. NATURAL. HISTOR. EDIN. SOC.

NECNON

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

IV. Id. Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDEBANT J. CLARKE ET SOCII.

M.DCCCXXXI.

INSTITUTION MUSEUM

DEPARTMENT

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1100 EAST 58TH STREET

CHICAGO, ILL. 60637

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
1100 EAST 58TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

1968

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

ADOLPHO M. ROSS, M.D.

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

S. P. D.

THOMAS OMOND.

Cum jam per aliquot annos, vir spectatissime, consilii tui, consuetudinisque tecum prope quotidianæ beneficio usus sim, tantum mihi iniecit in te studium amica, qua tecum frui mihi licuit, familiaritas, necnon commodi conscientia multiplicis, tuo ductu auspiciisque capti, ut mihi nequeam quin persuadere impense cupiam, iniquo te animo non esse laturum, si meam in te benevolentiam, humili utcunque munusculo, hunc tibi tractatum summa cum observantia dicando, testari coner. Quem si solita tua acceperis indulgentia, me tibi magis etiam obstrictum habebis.—Vale.

To
Dr. Thomson

with the Author's respectful
esteem and regards

Th

4 Fours St

19th July 1891

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE CHOREA SANCTI VITI.

AUCTORE THOMA OMOND.

INDICIA hujusce morbi insignia et quodammodo mira, haudquaquam dubitandum est, quin, antiquissimis etiam temporibus, medicorum animos in se converterint; ubicunque medendi exulta est scientia, aut dolori subveniendum humano visum est. Quid enim malum, cui hominis obnoxium est corpus, visu miserabilius esse potest, quid summo dignius levandi studio, quam quo

laborat ille, qui mentis atque rationis compos, omni tamen voluntatis in membra imperio orbat? Quoties incedere vult obtemperare recusant artus, nec sustinere valent; quoties ad restinguendam sitim poculum liquoris accipit, multo ante effunditur quam ad summa pertingat labia, quibus stabili admovere manu frustra conatur: vel si forte potum ori vix tandem applicaverit, tenere non potest donec hauriat: sin autem aggrediatur loqui, pro verbis sententiisque integris verbi tantummodo pars balbutitur, vel, quod sæpius evenit, conatus solvitur irritus deceditque, salivæ ex utroque oris latere emissionem, speciem præbente sævientis et insani. Quæ quum animo nobiscum voverimus, indicia morbi formidolosa, in quam debilitatem quantumque periculum eos redigat quos invaserit, profecto non poterimus quin cum HAMILTONE* miremur, systematum scriptores cur studii tantulum Choreæ tribuerint, artem vero medendi exercentes cur pæne prorsus neglexerint.

Veteribus ab auctoribus nullus depingitur

* Hamilton on Purgatives, p. 86, Second Edition.

morbis qui cum Choreâ accurate congruat. Locum ex GALENO citat MASON GOOD, qui tamen verisimilius ad cruris ex parte paralyisin, quam ad Choreæ signa spectat; quum huic quam illi minus apte fortasse conveniat. Traditur a Plinio Scelotyrbem simul cum Stomacace Romanos inter milites apparuisse, quum castra apud Rhenum haberent, atque hinc ortam fuisse quòd aquam quodam ex fonte per aliquod temporis spatium bibissent; morbique breviter ex eo naturam indicat quod “compages in genibus solverentur.”*

Primus autem SYDENHAMUS est memorandus, qui in Choream animum intenderit; ratioque indiciorum, ab illo instructa, clarissima est necnon exactissima: adeo etiam ut in omnes de hac re tractatus tantummodo translata fuerit, ex quo primùm scripta est, usque donec celeberrimum HAMILTONIS opus de Usu Purgantium in lucem editum est, unde vero, quod ad hunc certe attinet morbum novus rerum ordo natus est.

* Rees' Cyclopædia, Art. Chorea.

Nomen Choreæ Sancti Viti Germana ductum origine videtur. Narravit GREGORIUS HORSTIUS, anno circiter Domini MDCL. vulgo in Germaniâ creditum fuisse, si quis se in sacellum Sancti Viti contulisset, et pro ejus imagine per aliquod tempus, feriis in mense Maii habitis, saltâset, fore ut viveret bonâque valetudine frueretur, usque in proxima sacra ; quo rursus tempore purgandus erat ipse, Sanctusque placandussimili modo. Multi utriusque sexus, malis quibuscunque, sive animi sive corporis, laborantes, in hoc fanum se conferre solebant, et saltatione vehementi exercere, donec sanitatem receptam sentirent. Testatur HORSTIUS se cum pluribus saltantium, qui eo ad morbum depellendum vel præcavendum conveniebant sermonem habuisse : quique saltationem istam receptumque inde commodum multum commendabant. Illorum quidam hanc visere sedem consuêrat in singulos per viginti quatuorque annos, alius per triginta. Quæ ab auctoribus mirabilia narrantur de hoc exercitationis genere perquam sunt ridicula. Quicumque æger ædem sacratam adiit, huic erat saltandum donec aut procubisset exanimis, aut sanatus fuisset.

Dum hoc modo quis nervos contenderet tanta erat saltandi cupiditas ut quodcumque oppositum esset impedimentum facile transiliret, quin etiam talibus in exsuperandis gestire videretur. Tradit summa cum gravitate FELIX PLATER puellam quandam totum constanter saltasse per mensem; additque insuper conducendos fuisse musicos qui vicissim luderent, virosque strenuos et validos qui simul cum eâ saltarent. Alia autem fœmina diemque noctemque saltavit, cutis donec plantis detrita esset. Juvenes, nec non ætate proveciores, nuptæ pariter ac innuptæ, et virgines et gravidæ, omnes simul se tripudiantium choro admiscebant.*

Morbus est Chorea qui sexum invadere solet utrumque, non tamen, ut ferunt quidam, pariter nec sine discrimine. Fœminæ magis sunt obnoxia quam mares. Septuaginta et duabus ex ægrotis quibus in tractandis versabatur MANSON,† novemdecim tantummodo mares fuere. Duplo plures mulieres affectas quam viros vidit REEVES. Adfirmat HEBERDEN, “ ex ægris quos vidi, pars

* Rees' Cyclopædia. † Researches on the Use of Iodine.

“ tantummodo quarta mares erant.” Sæpius ante quam post pubertatem conspicitur. Post hoc tempus, morbi testatur HAMILTON se duo tantummodo exempla vidisse. SHUTIUS vero Bathensis, virginem memorat affectam annos natam XXI. REEVES,* quatuor fœminas hanc supra ætatem, unam etiam annos natam XXV. Fœminam CRAMPTON† inuuptam vidit affectam annos natam XXII. ; exemplumque traditur insignissimum à MATONE,‡ mulieris quæ annum attigerat LXXII. quæque sæpius hoc malo laboraverat. Quamvis nonnunquam ætate etiam proveciori conspiciatur multo tamen crebrius annum inter VII. et XV. Sæpius, ut jam antea dictum est, fœminis quam maribus incessit, easque quæ habitu corporis debili teneroque sunt, et quarum labefactata est sanitas exercitationis desuetudine, vitâ nimis sedentariâ, simul cum aut exiguo aut tenui cibo. Serpit primo furtim Chorea in eos quos mox est apperte aggressura. Algorem primo in pedibus sentiunt, qui tamen raro altius quam ad

* Edin. Med. and Surg. Journal, Vol. VIII. p. 314.

† Trans. King's and Queen's College, Ireland, Vol. IV.

‡ Trans. of College of Physicians of London, Vol. V.

genua progreditur. Nec movet iste adhuc animi solitudinem, quippe qui incipientem tantummodo catarrhum indicare videatur, vel si decimum tertium quartumve quæ afficitur attigerit annum, seriem illam indiciorum advenientem, cui sexus est ille obnoxius priusquam appareant primo catamenia. Paucis vero diebus post originem doloris in pede vel crure, cervicis vultusque musculi, præsertim qui circa os sunt, cito et constanter moveri videntur. Augetur porro morbus iste, si quis ad loquendum vel sorbendum hiare conetur. Interdum musculi in omni parte corporis totius fere simul convelluntur, subrepsitque in ægrotantem languor lassitudoque : quæ prius animum juvabant voluptatem nequeunt diutius afferre : cibi subsequitur fastidium, vel interdum vorax etiam appetitus. Hæc quum per aliquod temporis spatium producta fuerint, (quod in aliis majus fit, in aliis vero minus, quemadmodum res ipsæ decreverint,) tum vero corporis extremæ cæteræque partes multo etiam magis moveri conspiciuntur, et musculorum vel omnium, vel plurimorum, qui voluntati parere solent, motus cernitur ille invitus, inconstans,

ac repentinus qui proprium est Choreæ indicium. Videtur ad libitum per tempus quodlibet motum hunc posse produci, nec tamen fatigari laborantem, aut ex nisu molestiæ quidquam capi : adeo quidem ut gaudere videatur quicumque affectus fuerit variis in quas contorquere corpus positionibus possit ; morbique aliquis qui ignoraret naturam facile crediturus sit fieri ista omnia ultro ad commovendum spectantium risum. Alterum plerumque latus altero plus afficitur ; et quandoque conetur æger incedere, non rectà progreditur sed magis in latus affectum vergit, pedemque ejusdem pone trahit ; incessusque saltationi cuidam tremulæ similis est. Desinunt brachia manusque muneribus suis fungi consuetis de necessariis. Siquid pugno constringere vel tollere aggrediatur, laxantur fere statim muscoli, deciduntque in terram corpus. Initio sæpe morbi asperrime a parentibus custodibusque in pueros animadvertitur, ob incuriam cui nullo mederi modo potuissent, ideoque multò fit gravius malum, quod summam contrà postulabat sollicitudinem ac lenitatem. Vertuntur brachia nunc in corpus nunc a corpore, modo in pectus premun-

tur spe vanâ stabiliendi, volvuntur modo rapidè circum caput. Attolluntur simul scapulæ: si manum æger capiti lentè admovere jubetur fit semper repentino tremuloque impetu. Quum in lecto recumbit complicantur modo genua corpori qui admoventur, modo replicantur projiciunturque. Quoties in sellâ considet huc illuc pes et crus perpetuo incitantur. Rotatur invite caput; convelluntur simul faciei muscoli, vultusque distorquetur; omnem denique musculum, qui munere suo voluntatis ad arbitrium fungitur, plus minusve affectum est videre. Desinunt in somnis motus nisi quum vehementissimum est malum. Notatur aliquando abdomen præter solitum prominulum, sæpe etiam tensum durumque. Haudquaquam tamen semper hoc observatur signum: neque ex fæcum vi tenuioribus inclusarum intestinis ac colone oritur. Multum plerumque viscera obstruuntur et torpida quiescunt; quæ nisi mala quam celerrime tolluntur, ingravescente morbo ipsa quoque augentur. Choream interdum comitatur febris; sæpius tamen abest. Pulsus rarò naturalem ultra numerum reperiuntur concitati. Eloquendi facultas pler-

umque minuitur : interdum etiam omnino decidit : non nisi summa cum difficultate quidquam hauriri potest : Extenuatur corpus, fit macrum et debile. Hebescunt oculi, amisso micanti fulgore bonæ valetudinis proprio. Dilatantur nonnunquam pupillæ, luce tamen semper moventur. Fit pallidus lividusque vultus ; quibusdam contrà rubore suffunditur, dolore simul acuto augente occiput. Vis animi naturalis plerumque integra evadit : interdum tamen fatuitatis aliquid notare licet. Crebrò in lachrymationem plurimam repentino solvuntur motu, qualis in hysteria conspicitur, quæ per aliquot horas manet. Non hæc dolori tribuenda est ; causam enim quærendo majorem fortasse molestiam afferre, et lachrymationem producere videberis.

Perlustratis hisce Choreæ signis, quemadmodum se nobis plerumque morbus ostendit, progrediar jam quasdam notare species, quæ vel sub nomine Choreæ generali, aliisve nominibus sunt memoratæ : imprimisque de affectu illo loquar, qui Anglice dicitur, “ Leaping ague of Angus or Forfarshire.”

Nomen ab ea regione ducit, quòd ibi tam frequens occurrit, nec tamen illâ continetur solâ, verum etiam aliis Scotiæ regionibus reperitur. Initium habet a dolore in aliquâ capitis parte, maximè autem in occipite, qui paulatim deorsum usque ad extremam spinæ partem tendit : quem mox subsequitur impetus in saltandum vehementissimus. Manente illo, laborantes sunt furentibus simillimi ; modo membra huc illuc detorqueant, modo se in terram vi magna prosternunt, subito deinde ac fere statim exsurgunt, in ædium tigna insiliunt, et ex altero in alterum incredibili celeritate transcurrunt. Aliquando proclivitate capiuntur summâ in procurrendum rectâ ; quæ si agro eos invaserit aperto, interdum in multa passuum millia cursum continuabunt. Tanta erat quondam hujusmodi quadam in familia propensio, ut equus semper ephippio instratus ad fores religatus haberetur, ad insequendum quicumque impetu corriperetur. Quibusdam dicitur familiis hic inhærere morbus, a parentibus traditus, neque ullius proprius esse ætatis. Ventris oppletio, aut in tubo intestino, ventriculi affectus hujusce insignis causæ plerumque habitæ

sunt. Purgantia, balneique usus frigidi, plurimum in remedium profuere.*

Alia species Choreæ consimilis illa est, quæ a Doctore WATT, periodica dicitur Jactitatio; exemplum memorabile est ob formas symptomatum diversas quas per curriculum assumpsit.†

Veræ simplicisque Choreæ, optima, quod nos saltem reperire potuimus, descriptio mulierem spectat nuptam, annos natam XXII. quæ, quando-cunque eam incessit impetus, confestim saltare cœpit, voce simul ipsa modulate canebat. Sin autem carmen aliquod præcineretur aliud, vel si quis alius voce tibiisve quidquam modulari cœpisset, saltabat tantummodo dum tripudium numeris congrueret; a quibus quum primum aberrasset, pedem statim reprimebat; monente vero aure acutissimâ cito se iterum in modum redigebat; nec nisi rapide et indesinenter numeros mutando poterat impetus cohibere.‡

* Edin. Med. Journal, Vol. III.

† Med. Chirurg. Trans. Lond. Vol. V.

‡ Med. Chirurg. Trans. Lond. Vol. VII.

Quæ post mortem signa Choream comitentur haudquaquam certo compertum est; morbusque, his in operibus quorum ordinem Pathologia regit, inter eos collocatur quorum sedes prorsus latet. Verisimillimum fortasse habendum est, originem mali ex genere nervoso pendere; quanquam quidem fatendum est, sectum diligentissime cadaver sæpe nullam fabricæ corporis mutationem detexisse. At aliis in exemplis, velut in sequente, sanguinis in cerebrum effusio congestioque repertæ. Adolescentula, ætatis XVI. per sex hebdomadas Choreâ laboraverat. Interea alvus ducta fuerat, multusque sanguis detractus: nequicquam tamen; inspectoque post mortem corpore cerebri fabrica præter solitum vasculosa inventa est, necnon quæ circumcludunt idem membranæ, quæque medullam spinalem cooperiunt. Seri limpidi aliquantum effusum est tunicam inter arachnoideam, piamque matrem. Ad 3̄s seri ventriculis inclusum. Plexus choroideus, venæ galeni, et sinus cuncta præter solitum vasculosa.*

* Johnston's Journal, Vol. II. 1829.

Scriptores quidam Gallici recentes Choream ex inflammatione corporum quadrageminorum oriri dicunt. Quum semper observassem, inquit Serres, cadaveribus eorum qui Choreâ mortui fuissent corpora quadragemina inflammata et mollita, in animum mihi venit ut in animalia incisis hisce partibus experirer, signaque Choreæ similia omnibus in exemplis notavi. Experimenta credo ejusdem generis ab aliis facta fuisse, similemque fuisse exitum.

HUNTERUS ait,* pendere ex morbida cerebri conditione, medullæque spinalis inde derivatæ, tunicarumve, thecæve osseæ quæ circumdant. Postero se tempore hoc esse probaturum, ratione habita plurimarum mortui cadaveris insignium sectionum, pollicitus est: quod tamen, quoad nos saltem cognoscere potuimus nunquam præstitit: ideoque tam nos adhuc latent morbi vera pathologia causæque proximæ quam eos etiam latuerunt auctores qui primi hac de re scripserunt. Choream sæpe est videre indicium tantummodo tumoris in Medulla Spinali.

* Edin. Med. Journal, Vol. XXV.

Causæ, quæ a scriptoribus proferuntur, unde nasci dicitur plurimæ sunt, multumque inter se diversæ. Paucas tantùm memorabo, quæ sæpissime conspiciendæ sunt. Causæ igitur antecedentes, quarum vi fit hunc in morbum proclivitas, hæ sunt: sexus muliebris; corporis universi habitus debilis, (sive ex naturâ ortus, sive aliis ex originibus, velut ex victu tenui, vel aliis etiam ex morbis, e. g. ex febribus;) proclivitas congenita; corporis compago mollis ac tenera, adeo quidem insignis ut structura fere choroidea dicatur; quæ facile dignoscitur, vix autem ullis contrà verbis depingi potest; genus nervosum nimis sentiens; quod oritur vitium, vel ex apparatu concoctioni inserpiente languente et infirmato, vel ex habitu isto irritabili qui ætatem circa puberem plerumque valet.

Causarum provocantium creberrimæ sunt irritamenta in tubo intestino præsentibus seu faciibus sive vermiculis: dolor quoque ex dentitione, quæ Choreæ origo primum a MONRO Secundo indicata est. Laboraverat hoc morbo quidam

ejus sub cura. Malum omnibus submovere modis aggressus fuerat : frustra tamen. Quum tandem in os ægrotantis inspexisset, visus est ordinis secundi dens gingivâ se exserere, ab latere dentis serrati prioris. Hoc igitur amoto, locoque illi concesso, pulsa est Chorea ; sed iterum rediit ; iterumque fugata est, aliâ gingivæ parte incisâ. Tertia est causa catameniorum retentio vel suppressio : Quarta, cutis morbus propere nimis depulsus. Exemplum memorat DARWINIUS puellæ quæ zonâ ex emplastro hydrargyri usa erat ad depellendam scabiem. Repente purgata est cutis, Choreæsigna se ostendere cœperunt, amota tamen fuere reductâ scabie, depositaque zonâ. Odores etiam foetidi morbum provocare dicuntur ; ingenium irritabile ; imitatio, quæ postrema rationem docet cur tam frequens magnis in officinis occurrat. Usus hydrargyri nimius, aliorumve metallorum ; rheumatismus ; febres acutæ ; ventriculi morbi ; pavor ; ira ; mœror, affectusque animi cæteri ; vis quoque ab extra illata. Malum censebat SYDENHAMUS humori cuidam tribuendum nervos incitanti totamque corporis permeanti fabricam. Opinatus est CULLENUS contra pen-

dere ex instabili quadam et inæquali vis sanguiferæ libratione, modò magis tensæ, ut ita dicam, modò minus, adveniente præsertim pubertate. Posse etiam oriri dicit, ex organorum evolutione genitalium, quæ semper in genus nervosum vim maximam exercet. Laxationem alii fibrarum, unde musculorum conflatur compago, causam esse primariam dicunt, nec pendere omnino a vi vel sanguiferâ vel nervosâ. Ratio autem morbi verisimillima docet Choream ex turbatis generis nervosi functionibus oriri ; unde fieri ut vis ejus nec modo nec more solito per varias corporis partes distribuatur. Fatendum est quidem, hac ratione vel parum vel nihil omnino explicari, morbus quomodo gignatur ; sed quamdiu fabrica corporis nervosa latebit tam crassâ caligine obducta, nequidquam homine sive ægro sive sano modum operandi in tenebris eruere conabimur. A quibusdam inflammationi partis illius, unde motus oriuntur nervi, Choream tributa est : hi quoque neuralgiam ab inflammatione nervorum sentiendi oriri putant.

Non affert mortem plerumque Choream : unde

intelligitur quare in medicorum operibus adeo rara cadaverum ob hunc morbum sectorum mentio fiat. Quamvis autem haud sæpe ipsa per se lethalis sit animo tamen semper sollicito observanda est, suspectaque semper habenda, propter morbos illos alios, in quibus nonnunquam exitum habeat, quique vitam in discrimen sæpissime ducant, quales sunt Epilepsia et Hydrocephalus.

Hæret affecto complures plerumque per annos Chorea, vel etiam totam per vitam. Profert exemplum HUNTERUS,* quo septem in annos inveteravit: Narrat MASON GOOD sibi sæpe sub oculos exempla venisse, in quibus totam per vitam affectorum manserat. Quidam orator erat eximius sententiamque suam diserte proferebat; cantor alius erat insignis, musicamque componere solebat. Vidi egomet senem annorum ætate LII. qui ex septimo laboravit anno. Hujus in loquendo vox multum hæsitat, dextrum latus vehementius quam lævum, brachiaque quam pedes afficiuntur.

* Edin. Med. Journal, Vol. XXVIII.

Haud facile quemquam Chorea fefellerit, si modò indicia respiciat, ætatem, imprimis vero gestus illos insignes, histrionum simillimos, qui eam progredientem manentemque comitantur. Epilepsia morbus est unicus, quo decipiatur quisquam Choreæ loco. Facile tamen sunt dignoscendæ, notis hisce sequentibus. Aggrediente Epilepsia muscoli vehementer *omnes*, qui parent voluntatis imperio, uno eodemque tempore convelluntur : in Choreâ vero, *lateris plerumque alterius solius*. In Epilepsia tollitur paulisper omnium conscientia ; quod in Chorea vel rarius accidit vel nunquam. In Epilepsia oculorum pupillæ lucem parum sentiunt, in Choreâ semper. Epilepsia cursum peragit certum, decedit, iterumque revertitur, Chorea contra morbus est non regrediens sed perpetuus constansque.

Choreæ in curatione duo sunt quibus operam præcipue demus ; Imprimis ut causam tollamus provocantem ; 2do, ut proclivitati obveniamus insitæ. Hæc autem quomodo fieri debeant multum est inter medicos disceptatum. Contendit GILBERTUS BLANIUS, Eques, vitium Cho-

ream esse verâ debilitate natum ; depellendumque remediis roborantibus stimulantibusque solis. Contra autem ait HAMILTON morbum hunc esse haudquaquam verâ debilitate ortum, sed ex valetudine prius imminutâ, atque in pejus ruente ; quod opinatur ille probari et ab appetitu vario, et ex viscerum constipatione ; ideoque remediorum purgantium usu constanti solo submovendum. Utrumque medendi consilium exercitum propositamque ad efficiendam rem valuit : adeo verum est, quod ipsum apud vulgus dicitur, compluria esse plerumque itinera in eandem metam. Purgantia tamen jure primum semper obtinere locum. Prodesse videntur maximè fæces ex tubo intestino deducendo, sanamque actionem ciendo. Posse ea vim habere irritatione quoque vel in arcedâ vel in sedandâ, haud temere negaverim : quod tamen, meo quidem judicio, purgantia drastica adeo non efficiunt, ut et irritationem contrâ majorem ipsa plerumque commoveant. Ductâ igitur sæpius alvo, leniora adhibenda sunt cathartica Jalapæ, Scammoniaë, Gambogiaë, Aloes, Colocynthis, usumque constantem nocere potius dixerim. Illorum sententia, qui putant ab his redigi

secretiones in sanam conditionem falsis nititur rationibus ; nec emissâ vi fæcum probatur. Ipsa enim hanc emissionem secretionesque illas morbidas ciere magis quam sanare videntur. Oleum Terebinthinæ remedium est optimum si quando præsentibus ex vermiculis pendere judicetur.

Venæsectio.—Adhibendum est hoc remedium in eos solos qui sunt constitutione corporis pleniore, et incipiente tantùm morbo. SYDENHAMO mos erat primo sanguinem detrahere, dein medicinam imperare catharticam quotidie per triduum. Perhibet hoc se modo quinque sanâsse ægrotantes ; nec plures consiliis suis fuisse subjectos. SAUVAGIUS quoque venæ sectionem laudat. CULLENUS contra omnino improbat : seque hoc usu habere compertum putabat ægrotantes alvi ductio- nem multo melius quam sanguinis detractionem perferre posse.

Arsenicum.—Multa memorantur exempla Choreæ, hujus ope metalli depulsæ. Illius usu remedii, arsenici nempe soluti, perhibet SUTTINUS*

* Med. Chir. Trans. Lond. Vol. X.

ventriculum semper leniter fuisse motum neque unquam cathartici opus fuisse. Laborantem nuper ipse vidi, puella annos natam XI. cujus, postquam per tres hebdomadas constanter purgata fuisset, morbus medici peritiæ cedere diutius desiisse videbatur : adhibitis autem arsenici soluti guttis decem, ter in diem, cito convaluit.

Nitras Argenti.—Primus auctor fuit POWEL,* materiei ut hujus vis cujus adurens tanta est experimentum fieret. Sex profert ægrotantium exempla, hujus ope sanatorum, postquam nequicquam cathartica arsenicumque tentata fuissent. Laborantium uni dedit usque ad octodecim grana viginti quatuor horis. Narrat CRAMP-
TON,† mulierem, ætatis XLII. hoc remedio in sanitatem redactam ; maxima quam unquam dedit ille cuiquam nitratis argenti quantitas grana fuere duo ter in diem.

Oxidum Zinci.—Multum jam obsolevit hoc remedium. Plurimus ejus olim inter medicos

* Med. Trans. of College of Physicians, Lond. Vol. IV.

† Trans. King and Queen's College, Ireland, Vol. IV.

erat usus Choreæ in curatione. Plures quadraginta ægrotantibus, hujus ope, a BEDINGFIELD* bonam in valetudinem sunt restituti, temporis spatio quinque annis minore.

Carbonas Ferri.—Primo ob Choream adhibita ab ELLIOTSONE qui adhuc ejus usui multum favet eamque omnibus aliis remediis anteponit.

Iodium.†—Novum hoc remedium in Choreâ depellendâ principem inter alia obtinet locum.

Acidum Hydrocyanicum.—Afferuntur exempla duo, ab STUARTE de Kelso,‡ laborantium prius hoc medicamento in valetudinem bonam redactarum; quorum altera, horis quadraginta, guttas sumpsit xcvi. nec, præter aliquid nausæ, molestiæ quidquam fecere.

Ammoniaretum Cupri, quoque, maximo non sine commodo, in idem propositum adhibitum. Medicamenta Antispasmodica, si modo cum lax-

* Edin. Med. Journal, Vol. XII. † Manson on Iodine.

‡ Edin. Med. Journal, Vol. XXVIII.

antibus conjungantur, quorundam opinione remedia sunt certissima simul atque celerrima. Quæ vulgo adhibentur antispasmodica hæc sunt, Assafœtida, Valeriana, Camphora, Castor, et Moschus. Moschi monstratur vis, mulieris ex exemplo, annorum LXX. quæ postquam medicamenta alia omnigena diu frustra fuisset experta, moschi tandem grana sumpsit decem, post sextam quamque horam. Levatâ hoc modo aliquantùm molestiâ, moschi nimis propere intermisit usum : mox rediit Chorea, sed redintegrato moschi usu cito iterum depulsa.* *Hyosciamus Niger* quum vim habeat et antispasmodicam et aperientem, remedium est eximium.

Laudat GILBERTUS BLANIUS, Eques, Cardaminem pratensem, senis in portionem drachmis sextâ quaque horâ sumptis.

Irritationem Sedantia.—Tartar Emeticum adhibendum ab extra in Spinam primus, ni fallor, monuit HUNTERUS Glasguensis ;† cujus quidem

* Trans. of College of Physicians of London, Vol. V.

† Edin. Med. Journal, Vol. XXIII.

consilium inter ea habendum est quæ plurimum medicinæ in Choream exercitationi conducunt. Primum ei in animum venit hoc ut remedio uteretur dum ægram curaret puellam cujus jam septem per annos inveteraverat molestia. “Per illud tempus,” inquit HUNTERUS, “omne tonicum, omne fere totâ in Pharmacopeiâ medicamentum, summâ arte nequidquam adhibitum : usui tamen Tartaris Emetici, eruptione in cuti eductâ, quâ subjacet spina, morbus celeriter cessit.”

Brevi tempore postquam HUNTERI narrationem legissem, mihi subjectum est ipsi Choreæ exemplum. Vim Tartaris Emetici experire statui. Spinæ jussi ʒi unguenti quotidie, manè vesperique, perfricari. Triduo pòst, tergum erat pustulis frequentissimis maculatum ex quo tempore ægrotans paulatim convaluit, atque in scholam diebus octodecim post eruptionem primo eductam redire potuit bona valetudine recepta.

Balneum frigidum quoque magno cum successu adhibitum fuit.

Strychniam, Veratriam, Bruciam, Morphiam, aliaque compluria ex *Alkalinis* vegetabilibus, nonnihil profuisse accepimus: nullum tamen hac de re testimonium eruere potuimus, cui fides esset habenda. Neque vero Electricitatis usus Choreæ in curatione negligendus.

Ægrotantium et convalescentium victum oportet esse levem, corpus alentem, concoctu facilem; quocum modica conjungi exercitatio debet.

FINIS.

Stychnium, Veratrum, Digitalis, Scopolia,
atque coniunctis adhibenda sunt. Quibus
nonnulli praesertim Scopoliam addunt, cum
hoc de re nonnulli auctoritate non careant,
cum huiusmodi. Quibus vero Libani, huius
modi adhibenda sunt.

Phosphorus, Sulphur, Antimonium, Arsenicum,
Mercurius, et huiusmodi, cum huiusmodi
adhibenda sunt.

... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..
... ..

... ..
... ..
... ..
... ..

